

## C A P U T X X.

*De morbis, qui aliis superveniunt,  
aut in alios mutantur.*

**P**LURIMUM confert cum ad medendi rationem, tum ad Medici honorem, quinam morbi aliis ultro superveniant, aut in alios mutentur, cognoscere. Horum igitur praecipuos quosdam breviter commemorabo.

**D**ISPUTANT autem inter se auctores, quarumnam causarum vi istiusmodi mutations eveniant. Eae autem causae pro morborum natura sunt diversae. Nonnunquam enim partium affectarum consortio, & quadam cognatione cum aliis, ex laesa in sanam illabitur malum. Saepius partium vicinia damnum latius trahit. Saepissime vero ipse morbus est ejus conditionis, ut vel per modum solutio-  
nis, vel corporis corruptionem, in alium definat. Exempla nonnulla ex multis, quae in promptu sunt, producam.

**C**APITIS & ventriculi consensus facit, ut hoc pituita gravato, illud vertigine laboret; & contra, ut, repleto aut laeso cerebro, ventriculus aegritudine corripiatur. Pari cognatione jecinoris & intestinorum fit, ut, colicis doloribus haec torquentibus, ieterus in il-

lo

lo mox oriatur; cum ex adverso icterus interdum bilem flavam in alvum effundit, & termina excitat. Uteri quoque cum multis partibus est consortium, adeo ut Hippocrates *bunc esse omnium in mulieribus morborum causam* (a) dixerit. Hae autem partes praesertim sunt caput, pulmo, & stomachus; συμπαθεῖς vero instrumenta sunt spiritus animales, qui animi maxime affectionibus commoti, vel a vulva male affecta corpus afficiunt, vel noxas corporis cum illa communicant.

PARTIUM autem vicinia, quam alteram causam morborum successionis proposui, in inflammationibus praecipue locum habet, humore in partem adjacentem translato. Ita pleuritis in peripneumoniam transit; difficultati urinae, quam *σπαυσθεῖν* Graeci vocant, ileus supervenit; renum malae affectiones lumbos in conjunctionem trahunt, lumborumque dolores cum renibus communicantur.

MORBORUM denique, qui aliis superveniunt, aut in alios mutantur, tertiam causam naturae ipsorum tribui; quae, cum sit multiplex, multis etiam modis effectum sortitur. Arthritis interdum in dolorem colicum transit, dolorque colicus in arthritidem. Varices doloribus articulorum supervenientes liberacionem morbi promittunt. Apoplexiae succedit paralysis; & nervorum, nunc in toto corpore, nunc in aliqua tantum parte, resolutio morbum

(a) *De morbis mulierum, Lib. II.*

bum solvit. Sin autem a membris jam resolutis ad caput revertatur malum, mors plerumque pro Medico est. Difficultas spirandi, quae diu molesta fuit, hydropem in pectore pariter ac abdomen progignit. Hydrops inter cutem ne in ascitem desinat, magnopere timendum est. Malancholiae etiam, quae longo tempore duravit, non raro supervenit morbus comitialis, salutisque spem omnem adimit.

MULTA, quae hoc faciunt, collegit Hippocrates, & ex illis divinam artem bonum aut malum eventum praesagiendi sapienter monstravit. Ut finem igitur faciam, non abs re erit monere, et si causae, quas dixi, singulæ virtutem suam haud raro exerant; ut multæ tamen simul, junctis viribus, morborum cum successiones tum mutationes efficiant, plerumque evenire.



CON-